LAURENTII REINHARDI ILL. GYMNASII VINARIENSIS CONRECTORIS DE...

Lorenz Reinhard, Valenti Gonzaga


Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO PERILLVSTRI
DOMINO
IOANNI CASPARI DE POGERELL,
EQVITI SILESIO,
CVIVS VIRTVTIBVS
AB AVGVSTISSIMO IMPERATORE
SPLENDIDISSIMI DESTINATI SVNT
HONORES,
ET QVI IN PRAESENTIA
SERENISSIMI DVCIS SAXO-VINARIENSIS
EST AB AVLAE, REGIMINIS ET SENATVS
ECCLESIASTICI CONSILIIS,
OPTATISSIMO LITTERARVM PATRONO,
HASCE ORATIONES
SACRAS ESSE DICATASQVE
VOLVIT
AVCTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google



Illuſtriſſime ſummorum collegiorum Praeſes, Maecenas certiſſime: Aulae et reipublicae proceres, natalium ſplendore munerumque amplitudine conſpicui: Auditores omnium ordinum honoratiſſimi; tuque florentiſſima ornatiſſimae iuuentutis concio!



Vm nulla vnquam bello deteſtabilior peſtis ab iis excogitata ſit hominibus, qui inſignes aliis adferre calamitates ac perniciem atrociter minitari ſolent, ideoque ad mutua exitia temere ingenioſi ſunt; quid dulcius, quid iucundius, quid amabilius illis, qui diuturna bellorum incommoda funeſtasque eorum plagas experti ſunt, euenire poteſt, quam pax plena otii, plena quietis, plena tranquillitatis? Reuocetis,

Digitized by Google

quaeſo, vobis in memoriam, *Auditores venerandi*, infauſta illa tempora, quibus Europa, praeſtantiſſima orbis terrarum pars, inteſtinis olim bellis debilitata mutuisque cladibus attrita fuit; et videbitis triſtiſſimam maximarum aerumnarum imaginem. Renouate in animis veſtris earum rerum memoriam, quae exeunte ſuperiore ſaeculo, et paullo poſt huius ipſius, quod triginta et vno abhinc annis ingreſſi ſumus, ſaeculi initium in Europa geſtae ſunt; et miſerrima mentibus veſtris obuerſabitur rerum forma publicarum. Bellorum ſtrepitu perculſae, militum clamore perterritae, armorum impetu conquaſſatae tum erant complures prouinciae: et Germania in ſummo aliquoties verſabatur periculo. Veruntamen, auſpice DEO optimo maximo ac duce fortuna LEOPOLDI MAGNI, Sacratiſſimi Principis Romanorumque Imperatoris feliciſſimi, ſingulari prudentia, et vere paterna, quam is de conſeruanda publica ſalute praeclare ſemper ſuſtinuit, cura, in eum res deductae ſunt ſtatum, vt hoſtes, ſuis diffiſi rebus, belli fortunam tentare non amplius auderent, ſed, armis abiectis, ad LEOPOLDI, domitoris ſui, pedes ſeſe proiicerent. Cum LEOPOLDVS, Princeps aeternarum plenus gloriarum, ad ſuperas euocatus eſſet ſedes, aethereosque in orbes caeleſtem collegiſſet

giſſet animam; tanti Caeſaris filius, IOSEPHVS, cuius ſolum nomen elogium eſt, quemque primis ſtatim vitae annis in ſpem ſucceſſionis optimo conſilio electum fuiſſe nouimus, res omnes pro tutanda publica tranquillitate non minus glorioſe geſſit quam feliciter, adeo, vt omnes cum inſignem eius ſapientiam tum eximiam animi magnitudinem magno mirarentur opere. Hic poſtquam omnium opinione celerius mortalium rebus ereptus erat, optimorum S. R. I. Procerum, Principum ac Dominorum excelſis decoribus exſplendeſcentium, ſuffragiis eius in locum ſurrogatus ſtatim eſt CAROLVS VI. Princeps omnibus cumulatiſſimus laudibus, et ad res maximas easque arduas ſtrenue, fortiter ac proſpere peragendas a DEO deſtinatus: qui, procelloſis furoremque et clades minitantibus Turcorum moliminibus diſcuſſis atque compreſſis, arma iisdem eripuit, et, Sereniſſimo Sabaudiae Principe EVGENIO, illo belli fulmine et Heroe Fabiis ac Scipionibus maiore, aduerſariis acriter inſtante, multa barbarorum millia cecidit; qui Galli longis ſucceſſibus ſuperbientis inſolentiam protriuit atque ſubegit, dilectiſſimaeque Germaniae dulciſſimum pariter atque exoptatiſſimum otium reſtituit. Optimi maximique huius Caeſaris laudes incomparabiles ſi pro rerum ab EO bene geſta-

geſtarum magnitudine, et pro ea, qua *numini maieſtatique eius* ſemper dicatiſſimus fui, animi demiſſione, praedicare vellem; ſummi oratoris, *Io. Wilhelmi Bergeri*, opus mihi eſſet eloquentia, et beati polyhiſtoris *Io. Philippi Sleuogtii* elegantia. In praeſentia mihi tantum animus eſt, illud foedus iuſtis celebrare laudibus, quod *Sacratiſſimus, Inuictiſſimus, Auguſtiſſimusque idem Princeps ac Dominus*, CAROLVS VI. *Romanorum Imperator ſemper auguſtus, Germaniae, Hiſpaniae, Hungariae, Bohemiaeque Rex, Archi-Dux Auſtriae*, reliqua, pacis tranquillitatisque, quod felix fauſtumque ſit, in omni Europa defenſandae ac tutandae cauſſa, cum *Auguſtiſſimo, Potentiſſimo, Sereniſſimoque Principe ac Domino*, GEORGIO II. *Magnae Britanniae, Franciae et Hiberniae Rege, Brunſuicenſium et Luneburgenſium Duce, S. R. I. Electore et Archi-Theſaurario*, cetera, nuper Vindobonae decimo ſexto menſis Martii die auſpicato percuſſit. Quae enim, pro communi Europae otio, et potiſſimum pro ſtabili Germaniae proſperitate, pie religioſeque nuncupauimus adhuc vota, eorum fauſtis damnati ſumus ominibus. Magnopere gaudent commemorato foedere optimi clementiſſimique S. R. I. Principes, cum perſpectum habeant atque exploratum, auream ſic pacem proſpere eſſe ſtabilitam

bilitam validiſſimoque firmatam praeſidio. Tanti, tam praeclari eiusdemque publici gaudii in primis participem ſe eſſe ſentit *Sereniſſimus Celſiſſimusque Princeps ac Dominus*, ERNESTVS AVGVSTVS, *Dux Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angariae et Weſtphaliae*, reliqua, *Pater patriae optimus* magnisque laudibus digniſſimus: cuius *diem onomaſticum* illuſtre Gymnaſium hodie feſtum agitat auguſtis publicae laetitiae ſignificationibus. Qua ex re ſpes animum meum ſubit minime dubia, fore, vt orationis meae argumentum feſto et auguſto hoc die haud indignum iudicetis, auditores pie colendi, mihique de auguſtis rebus breuiter ſtrictimque dicturo exoptata benignitate aures attentas praebeatis. Mea certe oratio eo erit verior, quo erit ſimplicior et a fuco curioſius conquiſito alienior.

Foedus Vindobonenſe quinque abhinc menſibus ictum vt iuſto ac vero extollam praeconio, omnem operam in eo defigam, vt quam clariſſime commonſtrem, et in omnem Europam et praecipue in cariſſimam Germaniam vberrimam ex eo redundare vtilitatem. Pactus eſt hocce foedus CAROLVS VI. generis humani delicium, Imperatorum optimus, Rex Germaniae multo clementiſſimus, Princeps et diuorum ma-

 iorum

iorum gloria et ſuis virtutibus fulgentiſſimus, tot locupletiſſimorum regnorum, tot florentiſſimorum principatuum, tot ampliſſimarum prouinciarum, in quibus ad gubernacula ſedet, opibus et potentia ſuffultus. Quis eſt noſtro aeuo tam imperitus tamque ignarus rerum omnium, qui excelſam antiquiſſimae ſtirpis, ex qua CAROLVS ortus eſt, originem ignoret? Is profecto in ea hiſtoria, quae de fatis Germaniae exponit, peregrinus ſit et hoſpes neceſſe eſt, qui neſciat immortalia auguſtae gentis Auſtriacae in Germaniam merita; quippe quae communem noſtram patriam, et vniuerſum, qua patet, orbem Chriſtianum, tot luculentis ac manifeſtis adfecit beneficiis, vt res ab EA geſtae longe ſint digniſſimae, quae conſecrentur aeternitati. Quae patrum noſtrorum memoria acciderunt, et ab hiſtoricis grauiſſimis prodita ſunt memoriae, ea ex conſulto iam premam ſilentio. At nunquam ex animis noſtris diſcedet memoria recentiſſimorum temporum, quibus Imperator ſanctiſſimus CAROLVS VI. nullis pepercit ſumtibus in grauiſſimo atque ſaluberrimo publicae pacis negotio. Quantos ſumtus fecit in varios conuentus de conſtituenda pace diuerſis in locis celebratos! Quantis impenſis copioſiſſimos vbique locorum vtiliter comparauit et benigne aluit

exer-

exercitus! quorum fortitudo pariter atque multitudo ſecuritatis fuerunt propugnacula. Ingratisſimi ſane omnium eſſemus mortalium, niſi CAESARVM OPTIMO, CAROLO VI. pro tot curis, pro tot ſumtibus, quibus non exſpectationi Germaniae tantum ſatis fecit, verum etiam optimi cuiusque ſpem quam longisſime ſuperauit, publice ageremus gratias. O nos felices! o nos beatos! Cum tam benigno, tam indulgente publicaeque ſalutis cupido Caeſare Imperium Romano-Germanicum fruatur; in firmisſimam certisſimamque venimus ſpem, fore, vt foedus Vindobonenſe in Germaniam inferat felicitatem perennem: cum praeſertim certisſimis firmisſimisque pactionibus et ſanctisſimis promisſionibus confirmata ſit omnium regnorum, principatuum et prouinciarum, quibus CAROLVS VI. cum imperio ſummaque poteſtate adhuc praefuit, coniunctio perpetua. qua nihil excogitari fingique poteſt ad Germanorum gaudia cumulate augenda aptius, nihil ad iura Imperatorum in Italiam ſtrenue vindicanda validius, nihil ad tranquillitatem ac ſecuritatem Imperii fortiter ac religioſe tuendam et defendendam adcommodatius.

Summam et mirabilem vtilitatem etiam ideo commemoratum foedus Germaniae pariet, quod

percussum est cum *Augustissimo Magnae Britanniae Rege* GEORGIO II. quo meliorem Regem nunquam habuit Britannia, quo clementiorem Principem nunquam habuit electoratus Hannoueranus: quem extollit generis, ex quo originem traxit, antiquitas: in quem praeclara et immortalitati commendanda maiorum, qui summa fama floruerunt, facinora copiosissimam congerunt ornamentorum multitudinem: qui ex virtutibus, quibus ipse condecoratus est, regio fastigio dignissimis maximum dudum nactus est splendorem. Consideremus, quaeso, auditores, vt recentissimorum tantum temporum mentionem faciam, quanta cura, quanta felicitate potentissima Angliae Regina, ANNA, Serenissimae Domui Austriacae opem tulerit, missis subsidiariis cohortibus manu fortissimis militiaeque ducibus rerum bellicarum peritissimis. Volutetis, rogo, in animis vestris ingentes illos labores, quos primus Elector Hannoueranus ERNESTVS AVGVSTVS, gloriosae recordationis Princeps, pro excelsae domus Austriacae commodis et pro communi totius Germaniae otio, cum insigni animi magnitudine et fausto cunctarum rerum successu, sustinuit. Nemini vestrum ignoti sunt labores, quibus fortiter ac feliciter pro tranquillitate et securitate Germaniae tum functus

est

est beatisſimae memoriae Elector Hannoueranus GEORGIVS LVDOVICVS, cum copioſisſimo fortisſimoque S. R. I. exercitui prope Rhenum praefuit, Gallorumque, patriam noſtram nefario conatu hoſtiliter adortorum, impetus repulit, furorem eorum fregit, eorumque opes fortunatis praeliis attenuauit. qui neque poſtea, quam ad auguſtum regiae in Britannia haereditatis culmen haereditario iure euectus eſt, Germaniae ſalutem ac proſperitatem curare deſiit. Quam primum auguſtiſſimus GEORGIVS II. et in regnis, et in electoratu, et in principatibus, et in comitatibus, ditioni ipſius ſubiectis, rerum admotus eſt regimini; quantam ſpem de eo concipere queat Germania, praeclaris ſtatim et luculentis oſtendit documentis. Qua de re ad ampliſſimam merito excitamur ſpem, quae iamiam locupletiſſima commoda, quae ex foedere Vindobonenſi cariſſima Germania poſtero tempore percipiet, nobis quaſi porrigit.

Eo maior autem erit illa felicitas, quae ex collaudato foedere in poſterum in Germaniam redundabit, quo fortius ex eiusdem pactionibus Gallorum molitionibus reprimentur, quae auguſtae domui Auſtriacae et vniuerſae Germaniae nunquam non fuerunt inimicae atque perniciosae. Gallia Auſtriacorum potentiam, variis

auctam accessionibus, et in Caesareo fastigio, quod in rebus humanis summum est, per complura continuatam saecula, aegris semper oculis adspexit, quoniam eam formidauit vehementer. Cum olim Saxoniae Elector rebus a se gloriose gestis celebratissimus, *Fridericus sapiens*, Imperii proceribus auctor salutari consilio exstitisset, vt ad CAROLVM I. Hispaniarum regem Caesaream dignitatem deferrent; Galliarum rex *Franciscus I.* id agebat enixissime, vt commemoratus CAROLVS tanti magistratus honore excluderetur. in quo tamen spes Franciscum fefellit. Cum diuus IOSEPHVS, viuo adhuc Patre, Romanorum Rex eligeretur; quae non molitus est occulte, quae non machinatus est palam *Ludouicus XIV.* Galliarum rex, vt filium suum *Delphinum* Imperii proceribus obtruderet? Sed spe iste deiectus est, ita vt istius molimina neque genti Austriacae neque Germaniae detrimento tum esse potuerint. Quam noxia Germaniae et Austriacis consilia nuper ceperint Galli, vt mentem potentissimi Hispaniarum regis a foedere Vindobonensi alienarent, et praepotentium confoederati Belgii ordinum voluntates distraherent, et, quod dictu horribile, vel ipsos Turcos sollicitarent; ex publicis rerum nouarum tabulis haud obscure non ita pridem cognouimus.

mus. DEI autem benignitas occultas eorum machinationes diſcuſſit, et auguſtam gentem Auſtriacam etiam poſthac tot ornamentis cumulabit, vt liquido confirmetur notiſſima illa Friderici tertii ſententia: *Auſtriae eſt imperare.* Ira flagrent hoſtes Imperii, dolore ardeant, indignatione exardeſcant, captent conſilia patriae noſtrae inimica: vani erunt eorum conatus, irrita erunt eorum molimenta. Foedus, quod Vindobonae nuper CAROLVS VI. cum GEORGIO II. ſanxit ac religioſe confirmauit, obicem ponet hoſtilibus aduerſariorum machinationibus.

Firmum et ratum erit collaudatum foedus per longam multorum annorum ſeriem, ſi vel maxime aduerſarii omnem induſtriam omnesque machinas ad id conferre auſi fuerint, vt frangatur, violetur atque rumpatur. Ad ſocietatem Vindobonenſem laudabili prorſus conſilio accesſit *Auguſtiſſima Ruſſorum Imperatrix*, ANNA, Princeps ac Domina tanto faſtigio dignisſima, ſummisque ornata virtutibus: adplicauit ſeſe ad eam potentisſimus *Philippus V.* rex Hiſpaniae: adiunxerunt ſe ei *praepotentes confoederati Belgii ordines;* et breui tempore plures Reges potentisſimi huius ſocietatis partes amplectentur et tuebuntur, ſicque inexſuperabilibus

ea

ea communietur tutamentis atque praesidiis, ita, vt eadem firmissimum validissimumque dici queat fulcimentum, cui tuto innititur salus publica. O foedus maxime fructuosum! O foedus sacrosanctum! O foedus a posteris praedicandum et infinitis efferendum laudibus!

„Salue igitur sanctissime CAROLE, AV„GVSTORVM AVGVSTE, Caesarum optime, cle„mentissime, potentissime, prudentissime. Amet „Te Deus, quem Tu semper amauisti: praestet „Te Deus diu saluum atque incolumem, vt regno„rum Tuorum ciues tranquillitate foueas, vtque „Te imperante vniuersum Imperium Romano„Germanicum excellenter et eximie floreat. Pa„ternas Tuas curas, quibus Germaniae tranquil„litati adhuc prospexisti, summum Numen iu„cundissimis adficiat praemiis. Salue Augustis„sima ELISABETHA CHRISTINA, et sum„mae in rebus humanis dignitatis splendore et „virtutum Tuarum fulgore principum femina„rum princeps. Deus Te omnibus exoptatae fe„licitatis generibus cumulet, vt diu cum Augu„stissimo marito vita iucundissima omnisque „voluptatis plenissima frui queas. Salue MARIA „THERESIA, felicissima optimi Imperatoris „filia, augustissimum publicae felicitatis pignus, stella

ſtella coruſco fulgore omnibus lucens gentibus:“
diu vale, vna cum SORORE AVGVSTISSIMA, et“
tot fruere beatitatum ſummarum generibus, vt“
Tua Tuorumque poſterorum proſperitas con-“
ſummetur perpetuitate.“

Salue quoque, Auguſtiſſime GEORGI AV-“
GVSTE, Deorum ſoboles ac genitor, Britanniae“
Regum maxime, indulgentiſſime, feliciſſime. Sis“
Deo carus, ſis Dei praeſidio commendatus, ſis“
opum diues, ſis periculorum expers, ſis ſemper“
fortunatus; vt, Te regnante, et regnorum Tuo“
imperio ſubditorum, et principatuum Tuorum“
flos atque felicitas noua ſubinde capiat incre-“
menta. Valeat diu et bene valeat Auguſtiſſima“
Tua coniux WILHELMINA CAROLINA, Re-“
gina ac Princeps omnibus ſexus ſui decoribus“
mirifice ornata: valeat, precor, et per omne vi-“
tae tempus pietatis ſuae fructus ferat vberrimos.“
Viuat proſpere et bene valeat filius Tuus natu“
maior, Auguſtiſſimus FRIDERICVS LVDO-“
VICVS, Princeps Walliae, regnorum Tuorum“
ſpes, principatuum Tuorum Tuarumque pro-“
uinciarum exſpectatio, ciuium Tuorum ſola-“
tium: in quo omnes virtutes regio culmine di-“
gnae clariſſimos emittunt radios. Floreat de-“
nique omnis PROLES REGIA, et proſpera ſemper“
ex meis votis vtatur fortuna.“

„Salue, augustissima et potentissima *Russorum* „*Imperatrix*, quae CAROLI VI. caussam agere „praeclare adhuc studuisti. Saluete augustissimi „potentissimique *Reges*, qui rebus AVGVSTISSI-„MAE DOMVS AVSTRIACAE fauere adhuc „non dubitastis, et SACRATISSIMAE CAESA-„REAE MAIESTATIS secuti estis amicitiam. „Saluete regnorum, principatuum, rerumpublica-„rum ac prouinciarum domini, augustissimi, po-„tentissimi, serenissimique, quotquot foederis „Vindobonensis caussam in posterum egregio et „glorioso modo defendere constituistis. Hac e-„nim ratione sarta tectaque conseruabitur *aequa-„litas potentiae summorum Principum Europae;* „quam grauissimus Politicorum ordo *bilancem* „*Europae* nominare consueuit. Sic praeclara „Vestra prudentia impediet, quo minus hostium „manus aliquando ciuium Vestrorum cruenten-„tur sanguine. Sic nefarii Turcorum conatus dis-„iicientur: sic hostium Imperii Romano-Ger-„manici fastus reprimetur: sic Europae salus flo-„rebit; sic historici, oratores ac poetae, in prae-„dicandis gloriosis Vestris consiliis, quae nunquam „non magno Vobis honori erunt, omnem ingenii „vim luculenter commonstrabunt.

Ad Te iterum mea se conuertit oratio, sacratissime inuictissimeque Imperator, CAROLE.

Magnum

Magnum gaudium et in aulis et in animis *Serenissimorum Celsissimorumque S.R.I. Principum* excitauit foedus Vindobonense. Suam in primis laetitiam in comitiis Ratisbonensibus per legatum suum et dignitate et doctrina illustrem nuperrime declarauit *Serenissimus Celsissimusque Princeps ac Dominus*, ERNESTVS AVGVSTVS, *Dux Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angariae et Westphaliae, Landgrauius Thuringiae, Marchio Misniae, Principalis dignitatis Comes Hennebergiae, Comes Marcae et Rauensbergae, Dynasta Rauensteinii, qui in fortissimo Tuo exercitu Generalis Campi Marschalli locum tenet*, Princeps ac Dominus meus clementissimus: cuius pro salute augusto hoc die, AVGVSTI memoriae dicato, publice vota nuncupo ritu solemni. Largiatur Deus tam benigno Principi, tam indulgenti tamque bono patriae Patri, omnia bona piis eiusdem digna desideriis: *Serenissimumque Principem Haeredem* IO. WILHELMVM et omnem *Serenissimam prolem* summis ornet beetque beneficiis. Crescant opes Celsissimae *Domus Saxo-Vinariensis*: ad felicitatem ciuium, optimi Principis mei ditioni subiectorum, ingens accedat cumulus; et eruditionis flos in florentissimo eius principatu magno augeatur incremento. Nouum denique in dies robur accipiat excelsa ac prospera *omnium Ducum Saxoniae* fortuna.

Conſeruet ſupremum Numen pacem in omni Europa; confirmetque concordiam et tranquillitatem in dulcisſima Germania: fortunet pia et ſalutaria ſacratisſimi Caeſaris, reuerendisſimorum et potentisſimorum Electorum, itemque Serenisſimorum Principum, omniumque denique Imperii ordinum conſilia. Proſpera ſemper ſit ac ſtabilis Germanorum felicitas, et perennis voluptas. Sic nunquam mihi deerit exoptata eximie gaudendi occaſio.

Auſtria percipiat progreſſus ſancta ſecundos,
Exſultet ſemper proſperitate ſua.
Imperium creſcat fauſtis ſuccesſibus amplum;
Ne noceant hoſtes, quos trahit impietas.
Floreat Anglorum Rex atque *Georgius* alter,
Et videat nunquam triſtia fata ſuis.
Defenſor Fidei, fortunae munere diues,
Confirmet ſolium Numinis auſpicio.
Caeſar et *Imperium* vigeant per tempora cuncta.
Anglia ſit felix *Saxoniae*que domus.
Saxoniae Dominos exornet culmen honoris,
Hosque, fauente DEO, proſpera fata iuuent.
Grandius augmentum capiat VINARIA ſenſim,
Conſiliis laetis efferat atque caput.
Principis et noſtri votis DEVS adnuat, oro,
Sic coeptis fructus aura ſecunda dabit.

DIXI.

PROGRAMMA ORATIONI PRAEMISSVM.

ADpropinquat dies
AVGVSTI memoriae ſacra.
Dies auguſta
caerimonias auguſtas poſtulat,
ſermonesque auguſtos
de rebus auguſtis
exigit.
Auguſtius nihil
hoc ipſo anno
commemorari, credo, poterit
fauſto illo foedere,
quod
AVGVSTORVM AVGVSTISSIMVS
Sanctiſſimus, Inuictiſſimus,
Potentiſſimusque Princeps
ac Dominus
CAROLVS VI.
Romanorum Imperator ſemper auguſtus,
Germaniae, Hiſpaniae, Hungariae,
Bohemiaeque Rex, Archi-Dux
Auſtriae, etc. etc. etc.
humani generis delicium,
hoſtium Germaniae terror,
barbararum gentium triumphator,
ſecuritatis Chriſtianorum propugnator,
Imperii praeſidium,

Digitized by Google

aeterna
Sereniſſimae gentis Auſtriacae
gloria,
ac publicae ſalutis conſeruator,
cum
Auguſtiſſimo, Potentiſſimo
Sereniſſimoque Principe
ac Domino
GEORGIO II.
Magnae Britanniae, Franciae
et Hiberniae Rege,
Brunſuicenſium et Lüneburg. Duce,
S. R. I. Electore et Archi-Theſaurario,
fortiſſimo *Fidei Defenſore,*
Rege
excelſis exſplendeſcente decoribus
et de ciuium ſuorum ſalute
bene et immortaliter promerito,
praefulgente Europae ſidere,
pacis,
qua nihil eſt iucundius,
conſeruandae ergo,
et tranquillitatis,
qua nihil dici poteſt dulcius,
in vniuerſa Europa
tutandae gratia,
auſpicato percuſſit.

Quo

Digitized by Google

Quo feliciter effectum eſt,
vt magnopere gaudeant,
quotquot
IMPERIO ROMANO-GERMANICO
ea, qua decet, fide
ſecuritatem, incolumitatem,
resque ſecundiſſimas
optant ac precantur.
Sereniſſimi Celſiſſimique
Sacri Rom. Imperii Principes
praeclare intelligunt,
inuictiſſimo CAROLO VI
conciliatore et arbitro
auream pacem
ſtabilitam eſſe atque confirmatam.
Qua dere
ingens
quod eorum pectora compleuit
gaudium
publice teſtatum faciunt.
In ſocietatem
tantae et tam eximiae laetitiae
ſuo etiam iure venit,
pro ea,
qua
SACRATISSIMAE CAESAREAE MAIESTATI
deuotus eſt, pietate,

Sere-

Sereniſſimus Celſiſſimusque Princeps
ac Dominus,
ERNESTVS AVGVSTVS,
Dux Saxoniae,
Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angariae
et Weſtphaliae etc.
Germaniae ornamentum,
ciuium ſolatium,
Pater Patriae optimus,
heros et in ſago et in toga ſtrenuus,
cuius *diem onomaſticum*
iam dicto die III. Auguſti
ſimul celebrabit
illuſtre,
in quo Muſas benigniſſime alit,
Gymnaſium.
Commemorato igitur die
de laudato *Foedere Vindobonenſi*
Panegyricam ego habebo *Orationem.*
Ad quam beneuole audiendam
vt *Perilluſtres Aulae Proceres*,
omnesque litterarum patroni ac
fautores conueniant,
ea, qua par eſt, obſeruantia, rogo, obſecro,
obteſtor.

P.P. pridie Cal. Auguſti A. R. G. MDCCXXXI.

ORATIO



ORATIO
DE SVCCESSIONE FEMININA
IN AVGVSTISSIMA DOMO AVSTRIACA,
IPSO DIE NATALI
AVGVSTISSIMAE ROMANORVM IMPERATRICIS
ELISABETHAE CHRISTINAE
D. XXVIII. AVG. MDCCXXXII. HABITA
A
LAVRENTIO REINHARDO.

Maecenas Illuſtriſſime, Patroni venerandi, Fautores colendi, Amici bonoratiſſimi, Adoleſcentes meliorum litterarum amantiſſimi, dilectiſſimique!

ILluxit dies celeberrimus, illuxit dies ſanctiſſimus, illuxit dies religioſiſſimus. Publicam igitur laetitiam ſolemni ſignificemus ritu neceſſe eſt, auditores. Vix fauſtae gratulationes ex Baiis Carolinis reſonare deſierunt, cum nouum laetandi gratulandique argumentum de coelo adfertur. Fauſtis enim hodie ſideribus exortus eſt ſerenisſimus dies natalis principum feminarum principis, Sacratisſimae Auguſtisſimaeque Principis ac Dominae ELISABETHAE CHRISTINAE, Sacratisſimi, Inuictisſimi, Auguſtis-

D ſimi

ſimi Potentiſſimique Principis ac Domini, Domini CAROLI VI. *Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, Germaniae, Hiſpaniae, Hungariae, et Bohemiae Regis, Archi-Ducis Auſtriae, etc. Imperatoris ac Domini noſtri multo clementiſſimi,* CONIVGIS LECTISSIMAE, Principis maiorum aeque gloria ac ſuis virtutibus fulgentisſimae. Laetatur tantae Principis, quae, ex thermis Carolinis redux, valetudine proſperrima fruitur, ſalute exoptatisſima vniuerſa, qua patet, Germania: Eam enim ornant excellentisſima egregiarum maxime virtutum decora. Quis, quaeſo, neſcit, tantae eam eſſe clementiae, vt in bene de re publica meritos beneuolentiam, in pauperes munificentiam in dies exerceat? Omnes profecto confitentur, quibus eam propius noſſe contigit, omni animi contentione tantam Principem in id incumbere, vt ſui memoriam benefactis reddat aeternam. Laetatur in primis optimae Imperatricis incolumitate Serenisſimus Celſisſimusque Princeps ac Dominus, ERNESTVS AVGVSTVS, Dux Saxoniae etc. pater patriae indulgentisſimus: cui auguſtisſimae gentis Auſtriacae perenni ſtabilitate nihil eſt carius, nihil antiquius. Cumque commemoratum diem natalem auguſtis caerimoniis in ſplendidisſima aula celebraturus ſit, praeſente celſisſimo illu-

illustrisſimoque in ſago pariter atque toga Heroe, Domino *Friderico Henrico S. R. I. Comite de Seckendorf*, Sacrae Caeſareae Maieſtatis conſiliario intimo, ſupremo rei tormentariae praefecto, equeſtrisque militiae duce, etc. viro et factis bellicis et celeberrimis legationibus laudes adepto eximias; ſimul in illuſtri hac Muſarum ſede laetitiam publica oratione ſignificari iusſit clementisſime. Oratoris quidem partes ab optimo Principe mihi demandatae ſunt; verum quis tam diſertus tantaque eloquentiae copia inſtructus eſt, vt virtutes ac laudes auguſtisſimae Imperatricis plene queat exprimere, quae ne cogitando quidem quispiam poteſt adſequi? Veruntamen vt officio mihi delegato ſatisfaciam, non laetitiam Serenisſimi patriae Patris ſolum declarabo, ſed publico etiam nomine vota pro auguſtisſimae Imperatricis ſalute pie nuncupabo. Et quoniam praedicandis tantae Principis laudibus ea dicendi facultas non ſufficit, quam diuina mihi tribuit benignitas; in praeſentia *de ſucceſſione feminina in Auſtria* verba faciam, ſimulque demonſtrabo, quantum commodi ex ea, noſtro praeſertim aeuo, ad Germanos, publicae tranquillitatis ſecuritatisque cupidos, redundet. Demisſisſimus animi cultus, quo auguſtisſimam gentem Auſtriacam colitis, auditores, et eximia, qua me dignum

 adhuc

Digitized by Google

adhuc iudicaſtis, beneuolentia, ea, vt ſpero, ſupplebunt, quae dictionum mearum nitori rerumque adparatui deeſſe mihi videntur. Selectum ſaltem argumentum feſto hoc laetoque die haud indignum cenſebitis.

Succeſſionem femineam, in regnis ac prouinciis ſucceſſiuis, ſanioribus praeceptis iuris publici vniuerſalis conuenire, nemo eſt, qui dubitat. Philoſophi autem partes hodie ſuſtinere, mihi non eſt in animo; hiſtorici potius officio breuiter ſtrictimque fungi laborabo. Ius ſucceſſionis haereditariae in terris Auſtriacis etiam ad filias deuoluendum iam medio ſaeculo duodecimo Imperator Romano-Germanicus *Fridericus Barbaroſſa* illuſtri confirmauit ſtabiliuitque *priuilegio.* Rem hanc minime dubiam nuper quidem dubiam facere et in controuerſiam vocare auſus eſt Eques Gallus *de Chavigny;* at ſcriptum eius ſolidiſſimis grauiſſimisque rationibus confutauit illuſtre aulae Saxo-Vinarienſis ornamentum, *Ioannes Caſpar de Pogerell*, cuius commentationem tanti fecit Sacratiſſimus Imperator, vt virtutibus generoſisſimi auctoris ſplendidisſimos deſtinauerit honores. Profecto ſi dubia eſſet priuilegii Fridericiani certitudo, ſi incerta eſſet et ambigua eiusdem auctoritas; non nouis illud

ſanctio-

ſanctionibus ac repetitis decretis confirmaſſent Imperatores, qui poſt Friderici I. mortem ſummae imperii in Germania praefuerunt, nempe Fridericus II. Rudolphus I. et Carolus V. quique magno iudicii acumine pollebant, maximisque rebus praeclare geſtis nomina ſua conſecrarunt immortalitati. Rudolphum Habsburgicum priuilegia Auſtriaca ſuperiora confirmaſſe, planum haud ita fecit celeberrimus *Struuius* in corpore hiſtoriae Germanicae, opere vtiliſſimo. Et *Samuel Pufendorfius*, qui, adſcito *Seuerini de Monzambano* nomine, mandato heri ſui compulſus, acerbe ſatis inſectatus eſt Auſtriacorum priuilegia, eo audaciae ſeſe adduci haud paſſus eſt, vt contendere conaretur, ancipitem eſſe de priuilegio femineae ſucceſſionis contentionem. Qua de re dudum mihi perſuaſi, Pufendorfium, virum hiſtoricarum veritatum gnarum magnaque iudicii vi praeſtantem, certitudinis, antiquitatis, et veritatis memorabilis huius priuilegii penitus ac plene conuictum fuiſſe. Perſpicitis vero haud difficulter, Auditores, verisſimam cauſſam, qua adductus iſte eques Gallus, Regis ſui legatus, in ſuſpicionem adducere ſtuduit priuilegium tanti momenti. Perſuadere enim Germanis non noluit, domum Auſtriacam noua ſubinde adfectare priuilegia, nouas adpetere praerogatiuas, nouas concupiſcere opes:

ſimulque, quod nouitatis prae ſe ferret ſpeciem, odioſum fore et inuidioſum plerisque ratus eſt.

Nemo praeterea negare poteſt, in reliquis etiam regnis ac prouinciis, ditioni auguſtisſimae gentis Auſtriacae ſubditis, dudum valuiſſe femininam ſuccesſionem; niſi omnem in dubium vocare velit fidem hiſtoricam eamque temere ſupprimere. *Hungariam* atque *Bohemiam* ex iure coniugii femineaeque ſuccesſionis perueniſſe in poteſtatem Alberti II. et Ferdinandi I. quorum nomina fama celebrata ſunt, conſtat profecto inter omnes: et quoniam vtrumque regnum, nefariis hoſtium irruptionibus oppreſſum, Imperatores Auſtriaci armis in priſtinam vindicarunt ſecuritatem ac tranquillitatem, feminea in vtroque ſuccesſio non minus firmo nititur fundamento, quam in ipſa Auſtria. Regnum *Neapolitanum* iure connubii et femineae ſuccesſionis olim plures adeptos eſſe ſibique vindicaſſe Principes, hiſtoriarum monumenta fide digniora liquido confirmant: idque ob femineam ſuccesſionem poſt Caroli II. Hiſpani obitum in ditionem ſacratisſimi CAROLI VI. ſtatim veniſſet, niſi infauſti iſtius, illegitimi et iniquisſimi teſtamenti, quod aulae Romanae purpuratus Portocarerius temere ſcripſerat, audacisſimus defenſor reſtitiſſet, quo minus optimus Archi-

Dux

Dux Auſtriae legitimam ſtatim adiret haereditatem. *Siciliam* Imperator Henricus VI. iure matrimonii, quo regis Wilhelmi I. ſororem ſibi iunxerat, nactus eſt; cuius poſteri eam poſtea in ſua iure tenuerunt poteſtate: eademque mortuo Carolo II. Hiſpaniarum rege legitima haereditate, cuius fundamentum feminea erat ſucceſſio, ad diui Leopoldi, Imperatoris feliciſſimi, filios Sereniſſimos translata eſt, quorum minor natu, fortiſſimus nimirum CAROLVS, manibus illegitimi vſurpatoris armis eam eripuit. In *Belgio Auſtriaco*, cuius florem ac proſperitatem Inuictiſſimus CAROLVS VI. hodie diligentiſſime curat, paternoque fauore complectitur, femininam iam olim locum obtinuiſſe ſucceſſionem, feliciſſimum illud comprobat coniugium, quod Maximilianus I. Imperator aeternis laudibus inclutus cum Maria Burgundica auſpicato iniit, quodque ingentes auguſtiſſimae domus Auſtriacae diuitias et opes ſplendidiſſimis auxit acceſſionibus. In *Statu Mediolanenſi*, cui Sacratiſſimus Caeſar noſter, hoc ipſo ſaeculo ineunte, profligatis ac deletis hoſtibus, otium et pacem reddidit, femineam valere debere ſucceſſionem, praeter reliqua argumenta, euincunt leges *tractatus Londinenſis*, in quo, anno huius ſaeculi octauo decimo, de pace Europae feliciter

ter conseruanda actum est vtiliter. quae non minus perpetuam omnium regnorum ac regionum, quae sanctissimo CAROLO VI. parent, coniunctionem stabiliunt, quam celeberrima illa foederis Vindobonensis, anno huius saeculi vicesimo quinto icti, decreta; quae temporum praesentium rationes merito in memoriam nobis reuocant. Intelligitis ergo, Auditores praestantissimi, quam firmo feminea in terris Austriacis successio innitatur fulcro. Nec est quisquam vestrum, quem fugiant illa, quae adhuc salutari maxime consilio in comitiis Ratisbonensibus gesta sunt. Nam plurimorum Serenissimorum Celsissimorumque sacri Romani Imperii Procerum suffragia illustrem illam fortunatissimamque *Sanctionem Pragmaticam* Augustissimi CAROLI VI. de commemorata aliquoties *successione feminea* omnibus viribus a Deo sibi concessis defendendam tuendamque ibi susceperunt: id quod Sacratissimo Italiae Germaniaeque Hero summae est laetitiae. Neque dubitamus, quin et reliqui ad horum sententiam breui accessuri sint tempore.

Fructuosa haec Germaniae consilia, salutares hae promissiones, vtilissimae hae sponsiones, terrorem incutient gentis Austriacae hostibus, vt de omni prorsus spe temere concepta deturbentur.

tur. Quodſi igitur gentis Burbonicae conſilia, Auſtriae nunquam non inimiciſſima, vniuerſaeque Germaniae pariter atque Italiae noxia, bellum in poſterum conflare voluerint; futurum eſſe confidimus, vt clariſſima infinitisque documentis ac ſpeciminibus illuſtrata Germanorum fortitudo et Gallorum et Turcorum conatus bellicos ſtrenue reprimat, omnemque iniuriam cariſſimae patriae noſtrae illatam feliciter propulſet. Certe omnes fideles Germaniae ciues nihil magis habent in votis, quam vt gens Auſtriaca cum antiqua dignitate venerabilis, tum inſigni opulentia formidabilis in perpetuum floreat, fauſtiſſimisque fruatur felicitatis incrementis. Et qui arma aduerſus hoſtes ferre haud poterunt, ſeriis ſaltem precibus ſolemnibusque ſupplicationibus victoriam conciliabunt dimicantibus pro patriae tranquillitate. Iuuant copiae ſecuritatem publicam, iuuant exercitus copioſi, iuuant belli duces vſu conſpicui: proſunt proſperitati patriae milites, proſunt arma, proſunt viri rei militaris peritia clari: commoda adfert Germaniae fortitudo, commoda adfert prudentia, commoda adfert bellicorum adparatuum copia; at in precibus pia caſtaque mente ad immortale Numen miſſis firmiſſimum ineſt felicitatis communis

 praeſi-

praesidium, omni firmius muro, omni validius munimento.

Reliquum est, vt illud iam a me peragatur, cuius caussa praecipue hanc conscendi cathedram. Gratuler nempe necesse est Augustissimae Imperatrici de die ipsius natali, faustis hodie omnibus reducto. Salue igitur, Sacratissima ELISABETHA CHRISTINA, Augustarum augustissima. Accipe vota hilari mente ac fronte serena, quae fausto hoc die pro felicitatis TVAE incrementis nuncupantur, et breui incomtaque oratione exprimuntur ab homine MAIESTATI TVAE dicatissimo. Amet TE Deus, quem TV amare pergis. Seruet TE Deus diu saluam omnibusque beatitatibus cumulatam, vt laetitiae plenissimum huncce diem saepius postero celebrare queas tempore. Valeat Sacratissimus TVVS maritus, Caesarum optimus, CAROLVS VI. qui dominatum ac fastum Turcorum, Europae et in primis Germaniae funestum, strenue repressit: qui Imperii iura in Italiam a nefariis Pontificum Romanorum molitionibus acriter defendit: qui astutos Gallorum conatus, ac superbas male animatorum Hispanorum machinationes, fortiter suppressit: qui pacis Westphalicae leges ab imminentibus violationibus perni-

perniciosis, et ingentem malorum seriem minitantibus, tutas adhuc lubenti animo praestitit: qui denique pacem et concordiam inter Germaniae Principes firmo firmauit robore. Largiatur Eidem summum Numen voluptates animi piis eius desideriis dignissimas. Valeat Augustissima PROLES TVA, diuinae benignitatis pignus. Immo crescat domus TVA augusta innumerabilibus saeculorum aetatibus.

D I X I.

PLaudite!
Quotquot Germanica fide
AVGVSTISSIMAE
et de publica tranquillitate
immortaliter promeritae
GENTI AVSTRIACAE
pie addicti estis.
Prospera vtitur valetudine
et crastino die
faustissimum diem suum natalem
auspicato festum agitabit
Principum feminarum princeps,
sacratissima, augustissima,
potentissima

Princeps ac Domina
ELISABETHA CHRISTINA,
Sacratiſſimi, inuictiſſimi,
auguſtiſſimi potentiſſimique
Principis ac Domini,
Domini
CAROLI VI.
Imperatoris optimi, maximi,
clementisſimi, prudentisſimi,
CONIVX LECTISSIMA.
Plaudite!
Valet et bene valet
Baiis Carolinis vſa
Princeps
et ſummae inter homines
dignitatis ſplendore
et virtutum ſuarum decoribus
exſplendeſcens,
auguſtiſimae
MARIAE THERESIAE,
verisſimi illius
publicae felicitatis pignoris,
mater ſanctisſima,
quae
Deum colit,

quae

quae
Imperatorem amat,
quae
pro ſalute Imperii orat.
Laetatur
TANTAE PRINCIPIS
ſalute exoptatisſima
Serenisſimus Celſisſimusque
Princeps ac Dominus
ERNESTVS AVGVSTVS,
Dux Saxoniae,
patriae noſtrae pater
indulgentiſſimus,
pro ea,
qua Caeſaream Maieſtatem
ſemper veneratur,
pietate.
In ſocietatem
tam laudabilis laetitiae
ſuo etiam iure venit
Illuſtre Gymnaſium Saxo-Vinarienſe,
quod,
me interprete,
craſtini diei
hora VIII. matutina

vota nuncupabit
pro perenni ſalute
optimi Imperatoris,
et
optimae Imperatrici
de die natali,
fauſtis reducto ominibus,
ſolemni ritu gratulabitur.

Conuenite igitur
aulae et reipublicae proceres,
natalium ſplendore
munerumque amplitudine
conſpicui,
in maiori Gymnaſii auditorio.

Conuenite,
meliorum litterarum
fautores pariter atque cultores.

Conuenite
vota mecum nuncupate,
et
plaudite!

P. P. die XXVII. Aug. A. R. G. MDCCXXXII.



Digitized by Google